



# DE CORPORE CAP. I.

## De quaternis Corporum generibus.

§. I.



orporis vocabulum generalissimo signifi-  
catu copiam notat rerum definitarum, tanquam  
partium extra juxtaq; se mutuò positarum, quæ  
simul, non discretâ, sed continuâ ratione, spe-  
ctatæ totum aliquod divisibile sistunt, quod i-  
psum ut unum inter alia seorsim exhiberi vel  
demonstrari potest.

Ita (1) *Corpus mathematicum* dicitur abstracta copia partium ex-  
tra partes, à puncto, secundû trinam dimensionem, nempe secundum  
longum, latum & profundum, continuè sitarum, tanquam immobilis.

Ita (2) *Corpus naturale* dicitur copia concreta mobilis partium  
extra partes, sub tribus illis dimensionibus à puncto continuè sita-  
rum, h. e. extensarum.

Ita (3) *Corpus militare, Corpus Academicum*, in genere civili, di-  
citur copia personarum civilium extra juxtaque se mutuò, non dis-  
cretè dispersarum, sed sub certarum legum vinculis, ut unam socie-  
tatem faciant, continuè coordinatarum.

Ita (4) *Corpus juris*, in genere notionum, dicitur copia legum  
distinctarum extra juxtaque se mutuò, non discretè, sed methodi vin-  
culo continuè, sitarum h. e. in disciplinæ modum coordinatarum, &  
sub certâ titulorum serie continuâ quasi colligatarum, ut unam ali-  
quam à reliquis distinctam doctrinam seorsim exhibeant.

§. 2. Scilicet res plures, quatenus extra se mutuò, singulæ se-  
orsim & discretâ ratione, se sistunt, aut saltem quatenus præcisâ  
cohæsiōe, quâ gaudent, ita discretè sumuntur, NUMERUM

A 2

faci-